Zu der

öffentlichen Prüfung

sämmtlicher Klassen des

Gymnasiums zu Nordhausen,

welche

den 26. und 27. März 1863

veranstaltet werden soll,

sowie

zu dem am 28. März Statt findenden

Redeactus

ladet ehrerbietigst ein

Dr. Karl August Schirlitz,
Director des Gymnasiums, Ritter des rothen Adler-Ordens IV. Klasse.

Dr. Lüttge

Inhalt:

Nordhausen,
Druck von C. Kirchner.

1863

Alberti Luettge

De Polybii Elocutione

Dissertatio.



Polybii elocutionem si quis diligentius examinare velit, hoc imprimis ei tenendum est, simul cum gente etiam linguam Graecorum post Alexandri aetatem a natura et indole sua non paululum deflexisse. Nam sicut in Graeciam ipsam omnes fere gentes confluxerunt, utque Graeci ubique terrarum versati sunt, sic lingua, quam prius a barbarorum contagione prorsus integram esse imprimis gloriabantur, vestigia tulit a peregrinis gentibus impressa. Fieri enim non potuit, quin, quacunque arte et disciplina advenae iidemque domini florebant, ejus vocabula in linguam illata graecis substituerentur: sic apud Polybium vocabula quaedam militaria, quae Macedonum, alia, quae Alexandrinorum propria fuisse a veteribus grammaticis docemur, invenimus, nec minus ipsi intelligimus, alia ejusdem generis a Romanis repetita esse. Huc accedit, quod aetatis illius scriptores non dialecto quadam certa separataque ab aliis utebantur, sed ex dialectis singulis singula in suum usum convertebant. Sed haec, quamvis non raro inveniantur, extrinsecus allata non ea sunt, in quibus, quod proprium est Polybii et aequalium, positum est. Quod enim maxime nobis mirum videtur esse, elocutio illorum a patriis radicibus avulsa, vigorem naturalemque illum splendorem, quo Graecorum lingua facile omnes superavit, prorsus amisit, ac vestigia cum a schola et studiis tum ab usu et consuetudine impressa plurima fert. Itaque si illa, quae religionis et morum commutatio mutare coegit, omittimus, multa deprehendimus, quae ex arida et sicca philosophorum, maxime Stoicorum dictione profecta, multa, quae e poetarum carminibus in linguam vulgarem translata sunt, multa denique negligenter dicta, quae plebem redolent. Hinc repetendum est, quod propria illa multarum vocum et structurarum notione sublata id ipsum mole verborum compositorum assequi studebant, quodque elocutio universa ab artificiosa illa compositione et colore poetico ad nimiam perspicuitatem et languorem deducta est.

Quodsi quaerimus, quid viri docti, qui haud pauci operam in edendo et interpretando Polybio collocarunt, hac in parte profecerint, pauca reperiemus, cum omnes magis in constituendis lectionibus et rebus explicandis versati sint quam in examinanda elocutione. Si enim Casauboni librum perlustraverimus — in superioribus enim nihil inest, quod in nostrum usum cadat —, multis iisque amplissimis verbis laudatam inveniemus fidem et artem scriptoris, nonnulla etiam, quem colorem habeat sermo Polybianus, in universum exposita, sed ne verbo quidem illius dicendi genus cum aliorum comparat. Quin etiam, ubi in rationem grammaticam incurrit, mirum est, quanta

violentia Polybii dictionem ad Atticae elegantiae leges detorqueat et correctiones vel corruptelas suas obtrudat scriptori, quem non videt alio modulo ac scriptores Atticos metiendum esse. Maximam operam potius in rebus, quae ad rempublicam militiamque administrandam spectant, vel in iis, quae ad historiam referuntur, collocavit. Idem fere judicaris de iis, quae Ernestius et Reiskius ad Polybium illustrandum attulerunt.

Schweighaeuserus autem omnium qui in interpretando Polybio versati sunt novissimus, praeclare meruit de scripturis e codicibus restituendis et licentia illa critica coercenda; non minore cura ad res, quae ad rempublicam militiamque pertinent, illustrandas se applicuit, summa quoque diligentia ad rem grammaticam in adnotationibus expediendam aggreditur, sed quae est modica aetatis ejus scientia, non exposuit, quomodo veteres structurae aut promotae aut in angustius reclusae sint.

Quod igitur perpauca hac in parte prolata esse videmus, operae pretium esse duximus, paucis lineis Polybii elocutionem adumbrare; quae res quam sit gravis et utilis, etiam viri docti, quos supra recensui, probe intellexere. Itaque, quo distinctius videamus, ea, quorum supra fecimus mentionem, singula perlustrare nobis est propositum, atque ita quidem, ut primum de verborum copia nonnulla exponamus, deinde de ratione grammatica disseramus, postremo pauca de verborum circuitu componendo addamus. Res autem ipsa fert, ut prius in universum perscrutemur, qualis illius linguae, qua usus est Polybius, fuerit natura, quod sic demum cognoscimus, qua in regione et quemadmodum versata sit ars Polybiana.

Omnibus gentibus, quae cultu et humanitate multum profecerunt, accidere solet, ut recentioris aetatis scriptores flores, quos suis ingeniis decerpere nequeunt, aut e superioribus ipsorum gentis temporibus aut ab alio quodam populo repetant; idem Graecis scriptoribus accidit, qui post Alexandrum res gestas scribere conati sunt, in quibus principem licet nominare Polybium, quem alii ut Josephus, Diodorus, Plutarchus, rerum sacrarum scriptores imitati sunt.

Primum igitur illorum temporum scriptores, quum ex aequalium sermone non satis largam elegantium verborum copiam sibi offerri vidissent, naturali quadam lege ducti poetarum luminibus elocutionem suam adornabant, cujus rei non admodum rara apud Polybium deprehenderis exempla, quae passim jam veteres grammatici adnotarunt.

Sic Phrynichus s. v. *ἀρχῆθεν* animadvertit, vocabulum hoc ex Homero et Tragicis esse desumptum; I, 54, 7. *Ὁ δὲ Πόπλιος ἐπέπλει μὲν ἀρχῆθεν.* 13, 4. 6. Praeterea nonnulla adverbia, quae quidem voculae poetarum libris lectitatis facillime hae-

rebant, saepissime adhibentur, in quibus *πάμπαν* 2, 56, 10, *λίαν* 2, 8, 7; 2, 16, 14, *ἀνέκαθεν* 2, 35, 10 ab Atticorum sermone aliena sunt.

Praepositiones quoque, quas dicunt, nonnunquam eodem modo quo apud Homerum usurpantur: sic *κατά* cum genitivo conjunctum est, 1, 15, 4 *φρούρια κατα τῆς νήσου κείμενα* cfr. Hom. Odyss. 9, 370.

Huc accedit, quod haud pauca adjectiva ex eorum numero, quae epitheta ornantia dicuntur, quum paene in proverbium abissent, e sermone vulgari a Polybio excepta sunt, quo in genere *ἀδήριτος* 1, 2, 3 *ἀγέρωχος* 2, 31, 10 *ἐξαίσιος* 18, 29, 6 *πρόςφατος* 1, 21, 9 *ἄπλετος* 1, 50, 3 *οὔριος* 1, 34, 3 *ἀτρεκής* potissimum digna sunt, quae enotentur.

Alia ejusdem generis sunt: *φάσκω* 1, 1, 2, quod hoc loco optime interpreteris „glauben", *ἀμοιβή* pro *ποινή* 1, 84, 10, *μοχθέω, εὐμαρής, βυθίζω, λώϊον, ῥύσια,* alia multa.

Aliud quoddam, quod, si ab Atticis scriptoribus ad Polybium transieris, saepissime occurrit, hoc est, quod nullo modo sermo illius aetatis, quem *κοινήν* appellant viri docti, ab aliis et dialectis et linguis purus et intactus est. Sic Phrynichus vocabulum *παρεμβολή*, cujus usus est frequentior, quam qui muniatur exemplis, *δεινῶς μακεδονικόν* appellat, idemque aoristum *ἐγενήθην* pro *ἐγενόμην* e Doriensium usu repetitum esse docet. Ampliora hac de re congessit Sturzius in libro, quem de dialecto Macedonica et Alexandrina scripsit. Vocabula autem, quae vir doctissimus veterum grammaticorum auctoritatem secutus ex illis dialectis repetita esse evincit, talia sunt, ut inde utriusque populi cognoscatur indoles. Nam sicut Macedones post Philippum, Alexandrum, Diadochos, quos dicunt, eximiam operam in re militari excolenda posuerunt, ita Aegyptii in iisque Alexandrini earum rerum laude potissimum floruerunt, quae ad elegantiorem vitae humanae cultum pertinent. Sunt autem, quae in illo libro collecta in nostrum scriptorem cadunt, fere haec:

ἄγημα Pol. 5, 25, 1, quae forma Aeolica pro *ἥγημα* est, alias significabat *το προϊὸν τοῦ βασιλέως τάγμα*, apud Macedones *τὸ ἄριστον τῆς συντάξεως* erat.

παρεμβολή, quod vocabulum interjectionem vel interpositionem, tum etiam castrensis ordinationis genus significat, a Macedonibus ponebatur de exercitu et castris ipsis. Similiter *ῥυμή* pro platea scribitur Pol. 6, 29, 1, *ἀργυράσπιδες* 5, 29, 4 sunt *τάγμα τι τῶν στρατιωτῶν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου.*

Vehementer etiam vituperatur a Phrynicho vox *βασίλισσα* pro *βασίλεια* Pol. 33, 18, 2.

βηματίζειν, τὸ τοῖς ποσὶ μετρεῖν, ἔστι δέ πως λέξις Μακεδονική. Hesychius 34, 12, 3.

καταπέλται, Μακεδονικαί. Pollux 1, 13, 9. Polyb. 1, 53, 5. *καυσία, πῖλος Μακεδονικός* Polyb. 4, 4 *σάρισσα.* Alexandrina notantur ab eodem Sturzio: *δεικτηριάς* Polyb. 14, 11, quod prostibulum latine interpretaberis, *ζυγοστατεῖν*, proprie est librare, translate vario modo explicandum est; Pol. 6, 10. *ζυγοστατούμενον τὸ*

πολίτευμα, i. e. nulla ratione mutatus rei publicae status, *ζυγοστατούμενος πόλεμος*, i. e. bellum aequo Marte gestum, *δικαιοδοσία*.

Ab eodem fonte Sturzio derivandum videtur, quod nonnunquam aoristi secundi ad modum primi mutati sunt, cujus rei exempla in Alexandrina Scripturae Sacrae interpretatione saepissime inveniuntur, formas dico quales sunt *ἐλάβαμεν*, *ἐφάγαμεν* sexcentae aliae; Polybium hanc analogiam secutum esse video in formis *ἐξείλατο*, *ἀφείλατο*.

Saepius praeterea vocabula deprehendimus, quae ex usu castrorum et reipublicae Romanorum repetita sunt. Neque jure quis mirabitur, Polybium, quum tamdiu inter Romanos fuisset linguamque eorum didicisset, in iis rebus, quae a Romanis potissimum exculta essent, denotandis et vigoris et perspicuitatis causa in latinum sermonem incurrisse. Ac primum quidem illud novum est, quod Romanorum voces ad litteram in Graecorum sermonem transtulit, quo in genere *πραίτωρ*, *πρίγκιπες* 6, 21, 7, *κόωρτες*, *θρίαμβος*, *σάγος* attulisse satis est. Adjiciendae sunt formae, quas a verbo latino mille et millia derivavit: *μίλιον* i. e. miliare 34, 11, 8 et *μιλιᾶν* columnis miliaribus distinguere viam 34, 11, 8.

Deinde alia ad linguam graecam magis conformavit, ut habet *διαβούλιον* 1, 3, 9, qua voce Romanorum consilium, quod nos dicimus „Kriegsrath", imitatum esse Polybium jam Phrynichus docuit. Eodem referendum est, quod *νεανίσκος* eandem vim habet quam Romanorum juvenis i. e, miles (18, 26, 12), sic porro *ἐκφέρω* i. e. efferre pro sepelire 1, 30, 10 *διακλείειν* pro intercludere, *προκοιτίαι* pro excubiae, *μεταπορεύεσθαι* pro persequi, ulcisci 2, 8, 10, *ἐκλαμβάνειν* pro excipere 2, 39, 6, *κινεῖν* pro movere sc. exercitum, *καταγράφειν* pro conscribere 2, 13. Prorsus Romanorum consuetudinem secutus est, quum salutationem per *χαιρετισμόν* interpretatur 32, 18, 8 *περὶ τὰς κρίσεις καὶ τοὺς χαιρετισμοὺς ἐσπούδαζον*. Eodem mihi etiam spectare videntur complexus quidam verborum, qui apud Romanos saepissime usu veniunt; sic habet Polybius 1, 83, 2 *τόπος ἐλέους καταλείπεται*, *ἀνθρωπίνον τι συμβαίνει*, alia. Simile aliquid est apud Plutarchum: Timol. 5, 1, *δέησιν προςφέρειν* i. qu. preces afferre, *προςιέναι τοῖς κοινοῖς* i. qu. rem publicam adire.

Sub eandem rationem hoc quoque mihi cadere videtur, quod Polybius verborum complurium, quae vulgo medialiter pronunciabantur, passivi aoristum adhibuit atque id etiam in verbis intransitivis, quorum vis ac natura a passivi notione prorsus aliena est; usum hac in re deponentium, quae dicunt Latini, ante oculos habuisse videtur. Sunt autem formae ejusmodi hae: *παρεγενήθην* pro *παρεγενόμην*, quod quidem e Phrynichi praecepto Dorum esse jam vidimus, *ἀπεκρίθη*, qua in forma idem grammaticus *διττὸν ἁμάρτημα* inesse dicit, 21, 8, 11. Huc accedunt: *ἀναταθείς* 5, 51, 1 pro *ἀπειλήσας*, *συγχρησθῆναι* pro *συγχρήσασθαι* 2, 32, 7, *ἀπηντήθη* pro *ἀπήντησα*. Praeter haec nonnulla participia, in quibus nescio an clarissime eluceat haec ratio: *βασιλευθείς* pro *βασιλεύσας*, *ὑποτετμημένος τὰς ἐλπίδας* pro *ὑποτεμών*, *ἐπειλημμένος* pro nactus.

His fere finibus sermonis vulgaris, quem κοινήν appellant, materia, qua Polybius in libro suo conscribendo usus est, circumscripta est. Reliquum est, ut videamus, qua ratione et qua arte Polybius in hac materia adhibenda versatus sit quidque in elocutione a superiorum usu devertenda ipsius scriptoris valuerit ingenium. Primo enim obtutu facile conjicimus, novam quandam artem et rerum scribendarum viam ac rationem inisse Polybium totoque coelo ab Herodoto, Xenophonte, Thucydide diversum esse. Inde facile colligimus tantam scribendi et componendi mutationem non parvi momenti in commutanda elocutione fuisse. Liceat igitur hoc loco longius a proposito digredi, et quem in modum Polybius rerum scribendarum artem mutarit, demonstrare. Nam quum veteres illi rerum gestarum scriptores aut largam rerum copiam undique collectam, consilium certum docendi non professi sibi sumpsissent aut parvam et angustis patriae finibus inclusam provinciam summa arte summaque industria sic exhibuissent, ut rerum maxime perspicuam imaginem proponerent, ipsi ut in carminibus suis Homerus laterent, Polybius libri exordium ab officio scriptoris, quale ipse justissimum esse putavit, diligentius describendo repetiit. Aspernatus est res ipsas quasi agentes inducere, maluit res gestas ita narrare, ut hac ipsa narratione, quod ipsi de rerum natura persuasum esset, legentium animis inculcaret. Primus aditum dedit suae aetatis hominibus historiae πραγματικῶς, quo verbo ipse saepissime utitur, tractandae et de rebus historicis quodammodo philosophandi, denique omnium rerum quasi corpus, quod a certis principiis ductum esset, construendi, maximeque in rebus scribendis id assequi studuit, ut populares suos, quibus rebus Romanorum respublica eo potentiae potuerit progredi, doceret. Quod ut assequeretur, non potuit fieri, quin altius quam veteres illi procederet et omnium quae ea aetate florebant gentium res ita complecteretur, ut undique eo omnes res inclinare appareret, ut in unius populi imperium coalescerent (τὸ σωματοειδὲς τῆς ἱστορίας). Causam autem et fontem, ex quo tot tantaeque mutationes fluxerint, ipse Romanorum virtutem et constantiam esse professus omnes eventus inde repetebat; qua in re non raro ei accidit, ut ab instituta ratione alienus, ex qua omnia κατὰ λόγον fieri professus est, nonnulla, quae contra usum acciderant, ad causam quandam majorem et altiorem referret, quam varie ipse sibi non satis constans τύχην δαιμόνιον θεόν appellat. Ut autem ubique hoc propositum obtineret, saepius legentium animos ad suum arbitrium regere, latius et enucleatius de omnibus disserere debuit interponendo locos communes et referendo omnia ad principia quaedam, e quibus, quid verum esset, judicaretur. Quodsi Casaubonus in praefatione editionis suae dicit, „hoc nomine“ — id est docendi causa — „ferenda est illa enucleatio cum locis communibus praesertim in sene et docere juvenes insueto, qua in aetate et vitae ratione proclive est ingenium humanum ad locos communes et ad loquacitatem, sed etiam amplectendum juvenibus et nondum exercitatis, ut, quum ea praeparatione usi ad ceterorum lectionem accesserint, facilius possint cujusque de rebus gestis in utramque partem de causis rerum

ac fide judicii vim et causas perspicere atque ita verum historiae pragmaticae fructum percipere": haec viri docti de Polybio et de historia pragmatica sententia nimis angustis finibus circumscripta est. Voluit enim Polybius non solum juvenes, sed omnes aetatis et ordinis cujusque homines libris praeceptisque suis docere tantumque abfuit, ut suo libro ad alios legendos vellet praeparare, ut eo, qui primus *ἱστορίαν σωματοειδῆ* contineret, alios ad nihil redactum esse putaret. Erat potius haec enucleatio ac longitudo et in ipsa historia pragmatica posita et necessaria, ut aetatis Polybianae homines, qui multis et gravibus calamitatibus debilitati minore quam majores studio in republica versabantur, diligentissima circumscriptione et praeparatione ad res percipiendas et ita, ut Polybius voluit, recipiendas perducerentur (*τὸ εὐπαρακολούθητον*). Nam quum homines graeci patriam communem et rempublicam bene constitutam non haberent, quum poetae et scriptores populum docere desissent, has partes suscipere debuit rerum scriptor.

Praeter eas digressiones, quae docendi et persuadendi causa fiebant, longus est Polybius in commodis, quae ex historia redundarent, decribendis, quae tria potissimum esse existimavit: *βίου διόρθωσιν*, ad quam via ferat *ἐπίστασις* i. e. diligens observatio causarum et eventuum, deinde *ἀληθινωτάτην παιδείαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις*: denique historiam dicit *ἐνεργεστάτην διδάσκαλον τοῦ δύνασθαι τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς γενναίως φέρειν.* Versatur deinde in singulis singularum rerum partibus discernendis summa diligentia, id quod in rebus percipiendis magni momenti esse non ignoravit: sic ubique vocabula *αἰτία πρόφασις ἀρχή* accuratissime distinguere solet. Praeter has res, quae in historiam pragmaticam ipsam cadunt, alia nova ascivit. Polybius primus vera historiae via usus in iis rebus, quae historiae fundamenta sunt, diligenter observandis versatus est. Persuasum ei fuit, viro vere historico ditandum quidem esse ingenium itineribus faciendis, sed ea in re primum cavendum esse, ne quis omnia, quae audiret, inconsulto acciperet (III, 42, 7: *ἔτι δὲ μᾶλλον εἰρήσθω καὶ τῆς τῶν πλοϊζομένων ψευδολογίας καὶ τερατείας χάριν, ἵνα μὴ παντὶ τῷ λεγομένῳ προςκεχηνέναι παιδικῶς ἀναγκαζώμεθα διὰ ἀπειρίαν*), neque tamen rejicienda ea, quae hominum ore ferantur, sed quatenus fide digna sint, diligenter examinanda. Porro testimonia ea, quae aut aeri incisa aut litteris mandata verissimam rerum memoriam exhibent, in historiae usum convertit, tum eorum, qui ante ipsum res gestas scripserunt, libros acerrime examinat, denique rebus cum geographicis tum chronologicis accurate statuendis multum in vera rerum scribendarum ratione patefacienda profecit.

Hoc loco etiam illud, quod magni momenti in elocutione scriptoris existimanda esse mihi videtur, inserendum statui: eximiam operam Polybius in res, quae ad vitae humanae usum pertinent, describendas impendit; sic de arte illa, quam nostrates dicunt „Telegraphie", enucleate exponit, qua in re facile est intellectu, quam late pateat illa enucleatio et longitudo. Quodsi haec omnia comprehendimus, inde colligimus,

Polybium omnibus ingenii viribus nisum, ut et rerum, quas traditurus erat, amplam et perspicuam exhiberet imaginem, quod *εὐπαρακολούθητον* ipse dicit, et ea, quae ipse sentiret, quam certissime legentium animis imprimeret, sed a sublimi illo et concitato dicendi genere, quod oratorum superiorumque rerum scriptorum proprium fuit, magnopere esse alienum. Ipse aliquoties profitetur contemnere se artificia illa oratoria potius ad tragoedorum usum ableganda, qua in parte dignus est qui commemoretur locus libri secundi (56, 10). *δεῖ τοιγαροῦν οὐκ ἐκπλήττειν τὸν συγγραφέα τερατευόμενον διὰ τῆς ἱστορίας τοὺς ἐντυγχάνοντας οὐδὲ τοὺς ἐνδεχομένους λόγους ζητεῖν καὶ τὰ παρεπόμενα τοῖς ὑποκειμένοις ἐξαριθμεῖσθαι καθάπερ οἱ τραγῳδιογράφοι, τῶν δὲ πραχθέντων καὶ ῥηθέντων κατ' ἀλήθειαν αὐτῶν μνημονεύειν πάμπαν, ἂν πάνυ μέτρια τυγχάνωσιν ὄντα.*

Quid quod nitorem et elegantiam dictionis pro nihilo existimanda aut multo saltem simplicitati postponenda esse contendit, nec desunt exempla, in quibus studium illud animos legentium praeparandi et doctrina imbuendi ad languorem vel obscuritatem seducat (5, 35, 9), qua de re infra, ubi de ratione sententiarum componendarum agemus, nonnulla afferre placet. Est igitur Polybii dictio simplissima, ad rationem magis quam ad sensus accommodata, quamquam non desunt loci, quibus animus ejus rerum naturalium humanarumque observandarum peritissimus egregio quodam facinore elatus aut mirabilium specie rerum captus majore et acriore spiritu impleatur. Illuc spectant dilucidae illae rerum, quas dicunt geographicas, descriptiones, quarum nonnullae tamquam a poetae cujusdam ingenio profectae uno verbo rem ipsam ante animos nostros ponunt; sic 3, 54, 2 Alpes *ἀκροπόλεως διάθεσιν ἔχειν τῆς ὅλης Ἰταλίας* dicit, deinde campos Phlegraeos *θέατρον* vocat, id genus multa. Nec minus frigidum et aridum illud enarrationis genus nonnunquam rerum gravitate victus excedit (1, 27, 3 — 2, 15). Comparationes, quae usurpantur, nonnunquam, sicubi altiore sono utitur, imprimis e venatione et equitatione mutuatus est. Sic elegantissime Romanos et Carthaginienses cum avibus inter se ad internecionem decertantibus comparat, 1, 58, 7: *τὰ δὲ πολιτεύματα ἦν ἀμφοτέρων παραπλήσια τοῖς ψυχομαχοῦσι τῶν ὀρνίθων.*

Orationes, si quem principem inducit contionantem, et rarae et haudquaquam absonae sunt a reliqua scriptoris consuetudine: refert enim obliqua, quae dicitur, oratione, quae cuique dicenda sunt, nec unquam ad artem illam praeclaram, qua orationes Thucydideae excellunt, assurgit.

Disputavimus adhuc summatim de rebus, quae aut ab ipso aetatis sermone aut a scriptoris arte profecta alienam ab Attico sermone Polybii elocutionem reddant; superest ut singula, quibus aut a verborum vi ac natura aut a ratione grammatica deverterit, afferamus, qua in re nobis propositum est, non ut omnia, quae e libris Polybianis erui possunt, colligamus, sed ut singularia quaedam annotemus, quibus judicetur, quae Polybius analogiam grammaticam secutus novaverit, quantum pro-

priam vocabulorum vim commutaverit, quas ad leges verborum circuitus composuerit.

Jam si quaerimus, quantam vim illud scribendi genus, de quo modo egimus, habuerit, plurimum in vocabulis componendis valuisse apparet. Sicut enim Aeschylus Pindarus poetae divino quodam spiritu afflati vocabulorum forma et sonitu ipso cum ea, quae sentirent, exprimere tum animis audientium impertire studebant, simile aliquid in Polybio deprehendimus. Ut enim singula, quibus efficitur sententia, uno complexu traderet, nonnulla, quae seorsum dixerant veteres, in unum conflabat. Ita sententias quidem saepe dilucidiores exsistere, sed sermonis nitorem et facilitatem corrumpi constat. Necessaria autem lege hoc vitium contraxit Polybius, quod verba illo modo composita paullatim vim suam amiserunt, quumque nihil aliud ac simplicia significent, sermonem miro quodam modo impediunt. Saepissime hoc usu venit in vocibus, quae cum praepositionibus compositae initio quidem plures res perspicue complecterentur, sed postea in simplicis verbi notionem delaberentur. His verbis annumeranda sunt haec: *καθυπερέχειν* (2, 24,9) *ἐξαποστέλλειν* (1, 21, 6) *συμμεταπίπτειν* (3, 23, 8) *προςεπινοεῖν* (20, 6, 4) *προςεπιλέγειν* (22, 7, 15). Simile quid in vocibus nonnullis factum est, quae ex compluribus particulis compositae in unum coaluerunt ac rursus in particularum usum abierunt, vocabula dico: *ὡςανεί* 1, 3, 3, *οἱονανεί* 1, 3, 4, *καθαπερανεί* 2, 32, 2, *καθαπερεί* 15, 6, 8.

Nec procul ab iis distat particula *διότι*, quae primum quia vel propterea quod significat, deinde in simplicis verbi *ὅτι* notionem abiit, ita ut prior vocabuli pars prorsus redundet v. 2, 67, 8, 2, 68, 7.

Diversa ab ea cujus modo mentionem fecimus ratione ea est, qua singulae sententiarum partes in unius vel substantivi vel adjectivi vel verbi formam confusa sunt. Sic adjectivum et verbum coaluerunt in vocibus: *βιαιομαχεῖν* 1, 27, 12. *νεοσύλλογος* tiro 1, 64, 4. Adjectivi vice fungitur substantivum in v. *δολοφονέω* 2, 36, 7 ex insidiis aliquem interficere, *ψυχομαχεῖν*, *θυμομαχεῖν*, *στιβαδοκοιτεῖν*, *ἱστιοδρομεῖν*, *διϊσθμεῖν*, *ἰδιοπραγεῖν*, *δαιμονοβλάβεια* mentis occaecatio divinitus immissa, *γυναικοθύμιος*. *ἀδοξοποίητα* 5, 6, 8 sunt animalia ita comparata, ut opinionibus non regantur, *πεντεκαιδεχήμεραι ἀνοχαί* induciae quindecim dierum, *πεντηκονταкαιτριετὴς χρόνος* spatium quinquaginta trium annorum.

Ex eodem fonte, unde ea quae memoravi, fluxit illud, quod Polybius mobiles illas, sed ad aequalium suorum aures non accommodatas verborum structuras in substantivi formam contraxit, qua in re philosophorum aequalium auctoritatem eum secutum esse nonnunquam docent veteres grammatici; praeterea animadvertendum eandem vocem persaepe ad varias res transferri, unde haec ipsa vocabula iis, qui primum ad Polybium adeunt, haud parvas difficultates praebere apparet, ita ut ab hoc loco non alienum esse videatur pauca ejus generis afferre et quas in sententias abierint examinare. Sunt autem hujus generis voces usitatissimae fere hae:

ἐπίστασις, προαίρεσις, αἵρεσις, ἐπίφασις, παράθεσις, πρόςθεσις, κατάγνωσις, διάληψις, μετάθεσις, μετάληψις, σύστασις, ὑπερκέρασις sexcentae aliae. Hoc igitur in numero vox est ἐπίστασις, quam a Stoicis primo usurpatam docet Lob. ad Phryn. 2, 81, eaque multifariam utitur Polybius. Ac primum quidem idem est quod στῆναι ἐπί, collocatio unius post alterum: 1, 26, 1 τὴν ἐπίστασιν ἐπὶ ἀλλήλοις εἶχε τὰ σκάφη: ab hac notione propria ad initium, exordium significandum translatum est: 1, 22, 6 ἀπὸ ταύτης ἀρχῆς ἐποιησάμεθα τὰς ἐπιστάσεις: porro saepissime eadem vox usurpatur, si subsisti et gradum inhiberi significetur, quo referendum illud ἐπίστασις ἐγενήθη πρὸς τὸ παρόν mora incidit. Praecipue autem locus est vocis ἐπίστασις, quum substitimus ad rem et in ea immoramur considerantes et expendentes; hinc manat ea interpretatio vocis, ut idem sit atque animadversio, attentio, diligentia: 3, 2, 7 ἡ ἐξ ἀμφοῖν ἐπίστασις καὶ θέα; 2, 2, 2 μετ' ἐπιστάσεως cum diligentia.

Huc libet ascribere ὕπαρξις, quod eodem sensu usurpatur ac τὰ ὑπάρχοντα res familiaris 2, 17, 11.

Jam afferemus singula vocabulorum exempla, quae antea aut inusitata aut alio sensu usurpata in Atticorum vocabulorum locum a Polybio sunt substituta. Sic a Phrynicho voces Polybianae vituperantur hae: ὑπόδειγμα 6, 54, 6, quod non scribendum praecipit Phrynichus pro παράδειγμα.

εὐχαριστεῖν, ut Phrynichus ait, οὐδεὶς τῶν δοκίμων εἶπεν ἀλλὰ χάριν εἰδέναι p. 18. Idem improbat εὐδοκεῖν eodem sensu positum quo consentire, ἄρτι pro νῦν. cf. 16, 28, 5.

ἀκμὴν ἀντὶ τοῦ ἔτι φυλλάττον χρῆσθαι Phr. p. 123, qua de re Lobeckius in adnotatione huic Phrynichi loco adscripta docet haec: Veteres grammatici de hoc vocabulo dissentiunt, alii recte hunc in modum pro ἔτι usurpari dicunt, alii negant. Duas hujus vocis significationes esse credendum est, unam apud Atticos cum maxime, alteram recentiorem ἔτι. Conferas locos Polybianos 4, 39, 1, 2, 3, 2.

ἐξιδιάζεσθαι κακῶς pro ἰδιοῦσθαι 3, 24, 14. σύμπτωμα (1, 75, 8) e Phrynichi auctoritate, quamquam passim apud Atticos legitur, tamen pro συντυχία accipiendum τοῦ γεννήματα non est.

De v. γεννήματα (τὰ ἐκ τῆς γῆς) 1, 71, 1; 1, 76, 1 hoc dicit Phryn.: χρὴν ἀντὶ τοῦ γεννήματα καρποὺς λέγειν.

περίστασις probatur Phrynicho, si vulgi coronam significet: π. pro συμφορά Stoicos primos scripsisse dicit.

πρόςωπον est persona, quae inducitur, sub cujus nomine latent alii, 5, 107, 3; 5, 25, 8. Phrynichus (379) profitetur rhetores in judiciis falso hac voce usos esse. Praeparaverunt haec vitium, ut ait Lobeckius in adnotatione, poeticae circumlocutiones ἀρετᾶς, ἡσυχίας πρόςωπον.

ὀφθαλμιᾶν, quod vocabulum proprie significat ex oculis dolere, alibi translatum vel invidere denotat vel cum cupiditate aliena re frui. Plut. Caes. 2: ἐποφθαλμιᾶν. Polyb. 32, 21 πλῆθος τῶν προςόδων ὀφθαλμιῶν.

λαλεῖν pro *διαλέγεσθαι*, quod rerum sacrarum scriptoribus proprium est, legitur 21, 8, 4.

ξενίζεσθαι 3, 49, 1. idem est ac mirari vel stupere, quod nos dicimus befremden.

ἀφαιρεῖν minuere 20, 4, 2. *σάλος* portus 53, 10.

Saepius occurrent perlustranti tibi Polybium voces, quae a sua natura ad magis remotam et ampliorem notionem translatae sunt; hoc in numero habendum est illud *λαλεῖν*, cujus supra mentionem fecimus, quod illam vim inutilia loqui amisit. Sic *καινοτομεῖν*, quod proprie de metallis aperiundis dicitur, novi aliquid moliri significat 1, 29, 8; 3, 20, 4. *βίοι* idem est atque opes 5, 8, 5. *οἰκία* idem est ac familia sive gens (2, 37, 7). *χώρα* non raro idem est ac nostrum Stelle, munus.

ἀγορά et *σιταρχία* sunt pro *σῖτος* (1, 53, 3; 1, 66, 6), *εὔλογος* pro *καλός* 1, 72, 1; *ἐπικοιμᾶσθαι* pro ignavum esse 7, 13, 4, *γένος* pro natio, *εὐλαβής* pro *δειλός*.

Huic loco adscribendae sunt voces quaedam militares, in quibus novavit aliquid Polybius: sic *στρατόπεδον* usurpatur pro legio, *ὑπεναντίοι* suut hostes, *κίνδυνος* i. q. *μάχη*, *δύναμις* i. q. exercitus.

Mirum quantum Polybius graecam dicendi rationem mutavit in usurpando vocabulo *ἐθνικός* (1, 2, 54), quod idem est hoc loco ac vetus illud *δημοτικός*. *φαίνεσθαι* et *δοκεῖν* promiscue adhibet, 5, 41, 6: *τὸ φαινόμενον λέγειν* sign. sententiam dicere: 2, 50, 2 *δόξαντος αὐτοῦ δικαίως τοῦτο πράττειν*, cum appareret illum hoc jure facere; ut veteres *φθάνειν* cum participio conjunxerunt, sic Polybius hanc analogiam secutus in verbi *φθάνειν* locum et condicionem substituit *καταταχεῖν* 3, 16, 4 *κατάταχεῖ διορθωσάμενος*.

ἐξοκέλλειν, quod proprie dicitur de navi, quae ad saxa appellitur, apte transfert hoc modo: *εἰς τρυφὴν ἐξοκέλλειν* in luxuriam abripi.

Sed haec hactenus. Circumspiciamus jam formas illas verborum, in quibus ab Atticorum usu discessit Polybius:

ἔφησα exstat pro *ἔφην* (2, 17, 6), *παριστάνω* pro *παρίστημι* 3, 96, 3. Optativi formas in *αιμι* et *αι* desinentes ubique praefert: *ἀπορήσαι τις* 2, 29, 1 *ποιήσαι* 2, 68, 2. Aoristi illius *ἐπανείλατο* usum jam supra notavimus. Habet deinde *ἀγήοχα*, cui Phrynichus illud *μὴ πάνυ πεῖθου* apposuit. In nominibus substantivis declinandis novavit *διώρυγος* pro *διώρυχος* (5, 22, 4), *πηχῶν* pro *πηχέων*.

Praeterea notandae scribendi diversitates, ut *γηραιός* pro *γεραιός*, *τῆσθε* et *μηθέν* pro *τῆσδε* et *μηδέν*. Adverbiorum illorum formas *πρῶτον μόνον* saepissime commutavit iis, quae in *ως* desinunt. Monuerunt veteres hunc usum a Stoicis profectum esse, qui illas formas, quibus adverbii notionem magis insignem redderent distinerentque ab adjectivorum neutris, plerumque asciscere solebant (1, 4, 11; 4, 21, 11; 10, 11, 6).

Jam examinantes, quae in syntaxi adornanda nova attulerit, multos locos invenimus, ubi a naturali casuum vi quam maxime discessit. Hoc in genere, si ab accusativo capimus exordium, primum absolutum illum accusativum, cujus jam apud

Thucydidem exstant exempla, saepius repetiit. 5, 93, 8: *Τοιαύτης οὔσης τῆς ἀμφισβητήσεως Ἄρατος τὴν ἐνδεχομένην ἐπιστροφὴν, κατέπαυσε τὴν φιλονεικίαν αὐτῶν.* 4, 22, 5: *τὰς μὲν οὖν ἀρχὰς οἱ μὲν τῶν ἐφόρων ἄδηλον εἶχον τὴν γνώμην.* 5, 31, 3: *τὸ δ' εὐπαρακολούθητον καὶ σαφῆ γενέσθαι τὴν διήγησιν — οὐδὲν ἀναγκαιότερον ἡγούμεθα εἶναι.*

Alio modo a veterum consuetudine deflexit, quum vocabulum *πολεμεῖν*, quod impetus habebat notionem, sive suum sive Romanorum ingenium secutus cum accusativo junxit, quam quidem lectionem e codicum auctoritate recte restituit Schweighaeuserus 1, 15, 10.

Genitivum nonnunquam ita usurpatum invenimus, ut usum omnium consensu confirmatum excedat: sic *πιστεύεσθαι* cum genitivo junctum est 6, 56, 3: *πιστευθεὶς ταλάντων.* Sic etiam *ἁρμόζειν* pariter atque *ἅπτεσθαι* genitivum asciscit 1, 44, 1.

Cum dativo *ἐπιβαίνειν* constructum esse animadverti 1, 5, 2. Eundem casum subjectivi vice fungi video, ubi junctus est perfectis secundis, ut *τῶν γεγραφότων αὐτῷ* 2, 56, 1.

Multa et nova introduxit et antiqua repetiit Polybius in articulo adhibendo, in quibus illud primum dignum esse visum est, de quo mentio fieret, quod saepius articulus pronominis demonstrativi locum recepit: 5, 1, 1 *τοῖς ἀφ' ὧν ἀπέλιπεν Τιμαῖος.* Maxime autem articulus, id quod proprium est elocutionis Polybianae, usurpatur in circumscribendis substantivis. Quum enim Polybius initia illa, quae sermo Atticorum fecerat, recepisset, adeo hujus usus fines transiluit, ut articulum nominibus adderet, ubi nullum fere discrimen inter substantivum solum et ita circumscriptum inveniri potest. Sic scripsit noster 14, 2, 4 *τὰ κατὰ τὸν τῆς πράξεως καιρόν*: 22, 14, 3 *ἐκαινοποιήθη τὰ τῆς ὀργῆς*: 14, 2, 1 *τὰ τῆς ἐαρινῆς ὥρας*: 1, 9, 1 *τὰ περὶ τὴν ἀλογίαν*, in quibus rem ipsam addito articulo aut paululum aut nihil mutari quis est qui non intelligat? Idem fere dixeris, quum articulo cum infinitivo conjuncto structuras expedire studet, quamquam hac in re non raro negligentiae cujusdam vitium contraxit et facilitatis amore ductus quod proprium est sermonis Graeci delevit. Frequentissima hujus rei exstant exempla: 14, 2, 7 *ἔκ τε τοῦ φάναι τοὺς πρέσβεις ἔκ τε τοῦ εὐλαβεῖσθαι*: 1, 25, 5 *ὥρμησαν ὁλοσχερέστερον ἐπὶ τὸ συνίστασθαι ναυτικὰς δυνάμεις καὶ τῶν κατὰ θάλατταν ἀντέχεσθαι πραγμάτων.*

Modorum usus si spectemus qualis sit apud Polybium, multa mutata esse reperiemus, quae nobis nova atque inaudita esse videantur. In quibus nescio an gravissimum sit, quod particulae cum *ἄν* compositae et cum optativo et cum indicativo junguntur, qua in re tenendum est in optativo tali modo adhibito iterationis inesse notionem: 33, 7, 10 *ὅταν ἐτράπησαν*: 1, 8, 56 *ὅταν ῥᾴδιον εἴη.* Simili ratione particula *ἄν* cum indicativo construitur 9, 31, 2 *ἂν δὲ καὶ προκατέχεσθε καὶ προδιειλήφατε.* Nec minus ab Atticorum consuetudine recedit Polybius, quum particulam *ἵνα* addit indicativo. 40, 6, 9 *ὅπερ ἔδει καὶ τοὺς τοιούτους ἱστοριογράφους, ἵνα μὴ*

ἐτόλμων. Aliud est quod scripsit 21, 9, 1 ἐδεδίει μὴ ποιοῦνται. Infinitivus loco participii est 14, 8, 10 ἐφαίνοντο ἥκειν.

Hic etiam liceat commemorare Polybium pro participio perfecti participium praesentis collocasse, quae res adeo vexavit veteres interpretes, ut haec participia contra librorum auctoritatem corrigenda censerent; est talis locus vexatissimus in ipso primi libri initio εἰ μὲν τοῖς πρὸ ἡμῶν ἀναγράφουσι, quod cum libri scripti exhibent omnes, tum fulcitur exemplis his: 16, 14, 1 ἐπεὶ δέ τινες τῶν τὰς κατὰ μέρος γραφόντων πράξεις γεγράφασι καὶ περὶ τούτων τῶν καιρῶν. 1, 55, 3 ὁ γὰρ μικρῷ πρότερον ἐνδιδοὺς ἔλεον.

Magnopere porro Polybius a sermonis Attici legibus et elegantia desciscit in usu praepositionum, id quod facillime fieri potuit, quoniam istae voculae usu vel tritissimae, quae est earum natura, notionem principalem minime retinere et in diversissimas significationes discedere solent.

Ita apud Polybium saepissime usu venit, ut praepositiones vim suam cum aliis, in quibus similis inest vis, commutarent, aut in locum, ubi prius casus ipse ad sententiam exprimendam satis fuit, notionis augendae causa accederent. Nonnulla hujus rei exempla eademque maxime perspicua adscribemus, quoniam omnia enumerare longum est. Sic a solita vi compluribus locis praepositio ἀπό deflexit et adjuncta est genitivo, si pretium alicujus rei significare velit scriptor. 22, 17, 4 στέφανος ἀπὸ πεντεκαίδεκα ταλάντων. Frequentissimus porro usus est hujus praepositionis ad ortum rei alicujus denotandum, qua in re sacrarum rerum scriptores secuti sunt Polybium. Exempla ex hoc deprompta haec sunt: 5, 70, 8 οἱ ἀπὸ τῆς πόλεως oppidani. 2, 8 οἱ ἀπὸ Ἰταλίας πλοϊζόμενοι mercatores Itali. Huc etiam referendae sunt illae structurae, quae in adverbii speciem abierunt: 8, 19, 4 ἀπὸ κρατίστου γίγνεται ἡ ἐπιβολή serio pugna committitur. 6, 56, 3 ἀπὸ τοῦ κρατίστου χρηματισμός honestum studium rei familiaris.

Παρά multis locis occurrit cum genitivo conjunctum, ubi ex Atticorum consuetudine rem existimantibus non necessaria et supervacanea videtur esse: 22, 1, 6 ὁ παρ' ἡμῶν πατήρ pater noster: ab hoc exemplo non multum discrepat, quod 9, 19, 9 legitur: πολυπραγμονεῖν τὰ παρὰ τῶν μαθηματικῶν iis, quae a mathematicis traduntur, vel scientiae mathematicorum operam dare.

Eadem vox dativo apposita aliquoties causam significat: 2, 30, 5 τὸ τῶν Γαισατῶν φρόνημα παρὰ τοῖς ἀκοντισταῖς κατελύθη.

Cum accusativo si conjungitur, haec tria potissimum digna sunt, quae commemorentur. Primum ita usurpatum est, ut latinae praepositionis apud vice fungatur, qua in parte potius locus est dativi: 11, 14, 3 παρ' αὐτὸν μεῖναι; qua in re nescio an quid effecerit sermo latinus, cujus proprium est hujusmodi notiones accusativo exprimere. Praeterea παρά cum accusativo junxit, ubi causam denotare voluit scriptor 28, 11, 4 παρὰ τοῦτο συνέβη. 3, 103, 2 μὴ παρὰ τὴν τῶν δυνάμεων ἀποδειλίασιν,

ἀλλὰ παρὰ τὴν τῶν προεστώτων ἀποδειλίασιν. Denique de eo, quod abest, quo differt mensura, saepius scriptum est: 12, 2, 1 παρὰ τρίμηνον ἔχουσι τὸ διαφέρον, differunt inter se sex mensibus; eadem ratio est dictionum: παρὰ βαχύ, παρ' ὀλίγον.

Operae pretium est hujus praepositionis usum, qualis in verbis cum praepositionibus compositis sit, persequi: exstant enim apud Polybium verba nonnulla cum praepositione παρά conjuncta, in quibus notio quaedam privativa inest, quo in numero est παροπλίζειν arma adimere 1, 7, 10, παρακούειν aliquem non audire, verba ejus negligere, παραβλέπειν, multa alia. Prorsus contrarius idemque frequentissimus hujus praepositionis usus est in verbi simplicis vi augenda et amplificanda: 4, 74, 3 παρολιγωρεῖν prorsus negligere: alia ejusdem generis sunt παραλύειν, παρασιωπᾶν, παρενοχλεῖν, πάρισος.

Jam singula de singularum praepositionum usu, prout animadvertimus, ascribemus. κατά cum genitivo, ubi aliquid per spatium aliquod extendi significatur, saepius inveneris: 3, 19, 7 διεσπάρησαν κατὰ τῆς νήσου, eademque ratione 1, 15, 4 φρούρια κατὰ τῆς νήσου κείμενα. Cum eodem casu conjunctum κατά notionem praepositionis περί videtur attingere: 2, 38, 1 ἐπεκράτησε τὸ τῶν Ἀχαιῶν ὄνομα κατὰ πάντων τῶν Ἑλλήνων: magis idem usus elucet 4, 50, 3 μηδεμίαν ἀφορμὴν μηδενὶ καταλιπεῖν μήτε κατὰ τῶν ἐμπόρων μήτε περὶ τοὺς δούλους.

διά idem valere videtur quod apud, ante. Sic dicit Polybius 2, 68, 8 διὰ τῆς τοῦ λόφου κορυφῆς διαμάχεσθαι. 3, 72, 9 διὰ ἀμφοτέρων τῶν κεράτων, id quod paulo post ipse per vocabulum πρό explicat.

In usurpandis vocibus ὑπέρ et περί elocutio Polybiana differentiam illam utriusque vocabuli, quam diligenter observarunt Attici, ita ut ὑπέρ cum genitivo conjungerent, si de commodo alicujus sermo esset, neglexit et ὑπέρ in praepositionis περί locum substituit, cujus rei vestigia sunt apud Demosthenem: 1, 2, 3 ἱστορεῖν ὑπὲρ αὐτῶν, διελθεῖν ὑπὲρ αὐτῶν, nec minus alienum est a vulgari dicendi genere illud 3, 79, 8 κατεφθείροντο ὑπὲρ τοὺς ἄλλους οἱ Κέλται, prae ceteris caedebantur Celtae.

περί nonnunquam eum sensum habet, ut nobis sententiam magis impedire quam acuere videatur; 1, 21, 1 τὸ γεγονὸς σύμπτωμα περὶ τὸν Γναῖον, calamitas, quae Cnejo accidit. 3, 81, 7 δειλία περὶ τὸν ἡγεμόνα γενομένη. 1, 61, 1 τὰ περὶ τὸν Ἄππιον προτερήματα res ab Appio feliciter gestae.

ἐν voculae non rarus est usus, ubi spatium et intervallum significatur: 9, 8, 11 κεῖται ἐν ἑπτὰ σταδίοις.

De praepositione ἐπί illud commemoratu dignum est, quod cum dativo conjunctum haud raro spatium temporis significat: 5, 51, 12 ἐπὶ δυοῖν καὶ τρισὶν ἡμέραις. 3, 52, 8 ἐπιπορευομένων δ' αὐτῶν ἐπὶ τρισὶν ἡμέραις.

Idem fere, quod factum est in genuino praepositionum usu immutando valet in particulis usurpandis, cujus generis haec exempla attulisse satis sit:

ἀλλά et ἤ saepissime in principio enuntiationis aut ad alia transeundi gratia aut

ad ea unde oratio profecta est redeundi cum particula *πλήν* commutantur (cfr. Hartung Part. II, 30). v. Plutarch. Pericl. 19: *πλὴν ὑπ' οὐδενὸς ἐκινήθη τῶν τοιούτων ὁ Περικλῆς.* *ἀκμήν* pro *ἔτι* adverbio usitatum esse jam vidimus. Pro particula *πρίν* non raro occurrit *πρότερον*: 1, 58, 6 *πρότερον τοὺς ἄλλους ἐπικρατῆσαι.*

Ad *ὡς* non raro accedit *ἄν*, ut idem sit ac circiter: 1, 67, 13 *ἀπέχοντες ὡς ἂν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι στάδια τῆς Καρχηδονίας.*

Pleonasmorum, quos dicunt, magna apud Polybium est frequentia. Erat autem haec consuetudo sententias latius et uberius pronuntiandi non tam fortuita quaedam scriptoris licentia, sed in ipsa arte Polybiana et ingenio bene constituta. Quum enim studio omnia diligentissime enucleandi duceretur, fieri non potuit, quin solita vocabula et verborum circuitus non satis esse putaret et vocabulo uno et altero insuper addito rem augere atque amplificare studeret. Hoc ex eo potissimum apparet, quod easdem notiones duplici modo expressit. Ita notabile est, quod legitur 4, 3, 7 *καλῶς ἔχον εἶναι*, a quo non longe recedit id quod legitur 32, 10, 9 *μετ' ἐμοῦ συμβιώσεις*; tum eo procedit, ut verbum simplex in substantivum et verbum *ἔχειν*, *εἶναι*, *γίγνεσθαι* dissolvat. Sic 2, 16, 6 *Πάδος τὴν ῥύσιν ποιούμενος*: 2, 16, 7 *ποιεῖ τὴν ἐκβολήν.* Eandem legem attingunt structurae hae: *ποιεῖσθαι τὴν πορείαν*, *ποιεῖσθαι τὴν ἀνάμνησιν.* Similiter dicta sunt 2, 43, 3 *ἐραστὴς γενόμενος* pro *ἐρασθείς* vel *ἐπιθυμήσας*, 2, 37, 6 *ἀρκούντως ἔχει* pro *ἀρκεῖ.*

Similitudo quaedam intercedit inter structuras, quarum modo mentionem fecimus, et alias, quum ad casum, qui verbum consequitur, insuper adduntur praepositiones: 1, 16, 1 *βαρέως ἔφερον ἐπὶ τῷ παρηρῆσθαι*, *ἐπέτρεψαν τινι περί τινος.*

Inde si ad rem contrariam, quam vocant ellipsin grammatici, transimus, pauca non ex ipso scriptoris ingenio profecta, sed e vulgari sermone desumpta habemus. Sic exstant multis locis *ἡ θρέψασα*, *ἡ οἰκεία* patria; simile est quod in adverbium abiit *ἐξαυτῆς* confestim, *ἡ θέρεια*, *τὴν ἐφ' Ἡράκλειαν* 2, 54, 12.

Quidquid in singulis verbis aut structuris negligenter adhibitis proprium esse Polybii vidimus, id omne confluit in sententiis et verborum ordinibus componendis. Nulla re luculentius comprobatur, quam longe ab Atticorum elegantia abfuerit, et quantopere, dummodo ea, quae vellet, animis legentium praeciperet, sermonis elegantiam posthabuerit. Sed hac de re pauca tantum adspergemus, quum ad totam rem illustrandam nec locus nec vires sufficiant. Primum, quam longe absit a nitore illo, quem periodis componendis exhibuerunt Attici, inde intelligitur, quod non satis habet singula

sententiarum membra participiis connectere, sed insuper addidit particulas, quo arctius cohaereant membra; hoc in genere usus *οὕτως* particulae dignus est mentione 1, 27, 1: *Οἱ δὲ τῶν Καρχηδονίων στρατηγοὶ παρακαλέσαντες καὶ συναποδείξαντες — οὕτως αὐτοῖς παρήγγειλαν.* 2, 6, 5 *Οἱ δὲ δυσχρηστούμενοι, οὕτω λεηλατήσαντες τὴν ἤπειρον ἀνοχὰς ἐποιήσαντο.*

Nonnunquam eandem particulam in eodem circuitu saepius repetit, quod nobis sane molestum est: 27, 24, 1 *Κατὰ τοὺς καιροὺς τούτους κατὰ τὴν Ἀσίαν Γναΐου τῶν Ῥωμαίων στρατηγοῦ παραχειμάζοντος ἐν Ἐφέσῳ, κατὰ τὸν τελευταῖον ἐνιαυτὸν — παρεγένοντο αἱ πρεσβεῖαι.* 2, 62, 1 *ἐπειδὴ δ' ὁ μὲν καιρὸς ἧκε τῆς χρείας, τὸ δὲ σύνθημα τοῖς Ἰλλυρίοις ἀπεδόθη, παρήγγειλαν δὲ ποιεῖν τὸ δέον, πάντες κατήρχοντο.* Eodem modo res impedita est 1, 201: *τῆς δ' ἀγγελίας ἀφικομένης οὐκ ἔμενον ἐπὶ τῶν ἐξ ἀρχῶν λογισμῶν οὐδ' ἠρκοῦντο σεσωκέναι τοὺς Μαμερτίνους οὐδὲ ταῖς ἐξ αὐτῶν τῶν πολέμων γενομέναις ὠφελίαις.*